



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

2. Graves Qvæ Finibvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

& nobis amicum, in Diatriba sua de tribus Dagobertis lib. 4. cap. 8. pag. 246. *Diesthemium*, Brabantiae oppidum, *Dispar-gum* esse autumat. Quo enim modo Rex Clodio exploratores à *Disbargo*, si illud est *Diesthemium*, Brabantiae oppidum, *trans Rhenum dirigere* potuit, & in Belgica secunda *Cameraco & Tornaco* potiri?

2. GRAVES QVÆ FINIBVS. Sicut antiqui *Saxones Cattis* sive *Hassis*, limitaneo populo, maximè infesti, à *Luppia & Paderæ* tractu imminebant, odio religionis Christianæ, quâ à S. Bonifacio *Hassones* cum *Thuringis* fuerant imbuti, & imperij Francici metu, quod *Hassi* acceperant, *Saxones* detrectabant. Christoph. Brow. in Scholijs ad Poëm. *Hraban. Mauri* cap. 118. pag. 141. & *Annales* rerum Franc. ad An. 774. *Dum hæc in Italia geruntur, Saxones velut opportunam de absentia Regis nacti occasionem, contiguos sibi Hassorum terminos ferro & igne populantur. Cumque in eo loco, qui nunc Frideslar ab incolis nominatur, basilicam à beato Bonifacio Martyre dedicatam incendere molirentur, atque hoc efficere casso labore conarentur, immisso sibi divinitus pavore subitaneo, turpi trepidatione confusi domum fugiendo revertuntur.* Ita insecutis temporibus *Hassi Paderbornensibus*, qui sunt antiqui *Saxones*, parem gratiam retulerunt, præsertim Anno 1465. avulso ingenti ad *Dimolam* ditionis *Paderbornensis* tractu, & *Abbatia Helmershusana* perquam insigni sibi vendicata. *Dilichius* in *Chron. Hassiæ*. recentiora belli incommoda hic silentur, quorum ubique exstant vestigia, & pax publica Germaniæ sanxit oblivionem.

3. CATTOS. *Suevorum gentem longe maximam, & bellicosissimam Germanorum omnium.* C. *Julij Cæsaris* commentarijs magnopere celebratam, eandem cum *Chattis* esse pluribus nos argumentis docet *Cluver. lib. 3. German. antiquæ*